

*Deus bone, quantum hoc solatium!*

pondera verborum istorum sunt gravissima.

Singula verba singula oracula & solatia duxeris & dixeris; singula si recta rationis à S. S. illustratę, lance ponderaveris!

*Jehova Dominus noster, pater omnis consolationis, doctrinam istam, inter nos puram diu diuq; conservet; & solatium illud unicum digito suo ipsius cordibus nostris inscribat; faxitq; ut cum nos tum nostros, in vita & morte constanter eo erigamus!*



# PRIMA PARS

## CATECHISMI

### DE MISERIA.

## DOMINICA III.

Ex Quęst. 3. 4. & 5.

### MAGNITUDO TUM DEBITI

*hominis, tum ad id solvendum adynamia.*

TEXTUS Matth. 22, 37. & seqq.

*Vers. 37. Jesus dixit ei [legis interpreti] Diliges Dominum, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua.*